



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

I. Vt episcopi vocati ad Concilium veniant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

II2 IOANNES CONCILIVM LUDOVICVS BAVARVS IMP.  
P. XX. ALPHONSVS XI. R. CASTELLÆ.

- structus fuerit. VII. Ut presbyteri nonnisi unam ANNO  
v. Ut clericis bona ecclesia filiis suis Missam in die celebrare pre- CHRISTI  
non conferant. sumant. 1324.
- vi. Ut presbyteri pro Missis cele- viii. Illos qui Sarracenis subsidia  
brandis pecuniam non exigant. impendunt, excommunicatos esse.

### P R A E F A T I O.

**A**d fructus vberes, quos in Dei ecclesia episcoporum Concilia haec tenus produxerunt, conditores Canorum considerationis aciem \* intendentes, prouide constituerunt eadem Concilia pro puniendis excessibus, & reformandis moribus, per metropolitanum cum suis suffraganeis annis singulis celebranda. Quod & reuerendus pater dominus frater Guillermus Sabinensis episcopus, in his partibus apostolicæ sedis legatus, quolibet anno, vel ad minus biennio, sub certa forma fieri præcepit, ut quos ad declinandum a malo, & faciendum bonum virtutum præmia non inducunt, quadam ad hæc facienda necessitate per episcoporum diligentem solitudinem & suppositam vigiliam compellantur. Nos igitur, qui desideranter in vos gerimus ipsos Canones & præceptum eiusdem domini legati pro viribus obseruare, conuocauimus prouinciale Concilium in nostra ecclesia Toletana: & intendentes potius ad obseruationem constitutionum, quam ad multiplicationem eorum, sacro approbante Concilio præcipimus, constitutiones per dictum dominum legatum editas in Concilio per eum apud Vallemoleti celebrato, cum infrascriptis per nos in præsenti Concilio editis, obseruari.

### C A P I T V L A.

#### I.

Episcoporum negligentiae, qui vocati ad Concilium venire negligunt, ex quo ecclesiastica contemnitur auctoritas, excessus remanent impuniti, & correctio morum cessat, ipsas impunitates auferre volentes, cum nos simus sub certa poena ad celebrandum Concilium obligati, quod celebrare non possumus decenter vel utiliter sine ipsis, præsen-  
ti

ANNO  
CHRISTI  
1324. ti constitutione iubemus , vt episcopi vocati ad Concilium personaliter veniant, nisi fuerint impedimento legitimo , de quo nobis fidem facere teneantur, præpediti , \* secturi. Quod nisi fecerint , pœnas contra eos statutas a iure publicari & seruari faciemus, ad alias nihilo minus , sicut expedire viderimus, processuri. Et yt plenior informatio habeatur, episcopi in casu in quo sint legitime impediti , & cathedralium ecclesiarum capitula mittant ad dictum Concilium procuratores idoneos de statu propriarum ecclesiarum & dioecesum informatos.

II.

Antiquos Canones, qui in clericis superflua & inhonesta prohibent , ad memoriam reducentes , statuimus , quod nullus clericus supertunicale vel tabardum post mensem a tempore publicationis præsentis constitutionis deferat ita longum , quod si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cum hæc non honestas, sed superfluitas & indecentia censeatur. Clericus vero qui contra fecerit, supertunicale ipsum seu tabardum ipso facto amittat , per proprium , seu eius vicarium , seu officiale , pauperibus erogandum. Caeant & clerici, ne mantellos seu chlamydes nimia longitudine vocandos, nec cum chordis , & nimis longis , nec tunicarum manicas nobiliter nimis breues , ita quod brachia nudæ appareant , si pœnam consimillem voluerint euitare. Quilibet etiam clericus barbam faciat sibi radi quolibet saltem mense, nec crines deferat nobiliter infra aures. Ceterum quia in partibus istis morbus detestandæ inhonestatis irre-

Concil. Tom. 29.

P